Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



Condignam meritis reddere velle vicem
Contra naturam inti inti mores quoque caninos
Quam sit difficile dicere nemo potest
Semper ab effectu que sint nature ut unde
Venit ostendit nec latuisse potest

Timor brunelli de ingratitudine prepositi

Talia brunellus secum meditatur ab urbe
Parisius statuit mane referre pedem
Ergo valefacto fratribus et flentibus illis
Omnibus exit abit accelerat quoque gradu
Montis in ascensu positus post tergum relictis
Parisius cernens obstupefactus ait
Sancta maria deus crux xpi me benedicat
Hac in valle situs quis locus esse potest
Hec est roma puto magnis circumdata muris
Urbs ita turrita quid nisi roma foret
Atque quid esse potest aliud quam mons iovis iste
Sancta maria deus est ita roma prope
Urbs in qua studui cuius modo nomen ab ore
Fugit et a corde ve michi qualis ego
Ergo domum repetens matrique patrique roganti
Cuius nam profitear me studuisse loco
Me forte trutannum me nil didicisse parentes
Dicent et sumptos deperiisse suos
Ergo revertar ego nomen quod nescio discam
Ne rudis in patria predicar esse mea
Non michi illud erit cum nomina certe locorum
Dixero consurgens me tenuisse scolas